

Tabula 38.
ERICA MASSONI.
 OCTANDRIA MONOGYNIA.

CHAR: GEN: Cal. 4-phyllus. Cor. 4. fida. Filamenta receptaculo inserta. Antherae apice bifidae, pertusae. Caps. 4 locularis, 4 valvis, polysperma.

ERICA Massoni: Antheris muticis inclusis, Corollis cylindricis grossis. floribus capitatis, foliis octofariis imbricatis pubescentibus. Linn. Suppl. 221. At. Hort. Kew. II. p. 23. Thunb. prodr. Cap. p. 71.

Habitat in Promontorii bonae spei montibus Hottentots Holland dicitis, floreteque ibidem initio aestatis nempe: Januario, Februario et Martio. In hortis vero nostris per totam fere aestatem florens observatur.

Caulis fruticosus erectus bipedalis determinate ramosus, ramulis subverticillatis fuscis pilosiusculis.

Folia quaterna senave linearia petiolata obtuse superne convexiuscula subtus sulcis binis longitudinalibus exarata, margine obsolete denticulata et longissime ciliata, juniora et emarcida adpressa dense imbricata adulta patentia.

Flores speciosi sub-apice in verticillo decem ad duodecim-floro positi, satis magni.

Peduncululi brevissimi ciliati recti, bracteis binis suffulti.

Calycis foliola quatuor viridia ciliata, ovato-lanceolata margine revoluta.

Corolla tubuloso-clavata, medio parum angustata, apice coarctata, limbo quadrifido patente, laciniis oblongis obtusiusculis. Dimidia tubi pars ad basin est coccinea, reliqua vero laete luteo-virescens.

Filamenta albida corolla breviora filiformia.

Antherae fuscae bipartitae muticae conniventes.

Germen viride pyriforme, octo-sulcatum basi ut in omnibus Ericis, nectario glanduloso cinctum.

Stylus longitudine Corollae cylindraceus viridis, basi purpurascens.

Stigma purpureum quadrifidum.

Observ. Regeneratur duntaxat taleis, quae difficillium radices agunt; semina enim vix ad maturitatem perveniunt. Omnes Ericae species postulant terram levem, et humiditatis impatientes sunt. Haec asservatur hyeme in frigidario loco sicco; aestate vero sub dio, loco calido umbroso laete viget.

Ramus magnitudine naturali.

a. Folia naturali magnitudine. b. Folium. c. Calix.
 d. Genitalia. e. Anthera. f. Stigma. g. Germen.

Omnes fructificationes partes sunt auctae.